

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II RENOVATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI EDITUM
IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

DE ORDINATIONE EPISCOPI, PRESBYTERORUM ET DIACONORUM

EDITIO TYPICA ALTERA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. CD 145/89

DECRETUM

Ritus Ordinationum, quibus Christi ministri et dispensatores mysteriorum Dei in Ecclesia constituuntur, iuxta normas Concilii Vaticani II (cf. SC, 76) recogniti, anno 1968 in prima editione typica promulgati sunt sub titulo *De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi*.

Nunc vero, attenta experientia, quæ e liturgica oritur instauratione, opportunum visum est alteram parare editionem typicam, quæ relatione habita ad priorem sequentia præbet elementa peculiariora:

1. Hæc editio ditata est *Prænotandis*, sicut ceteri libri liturgici, ut exponatur doctrina de sacramento et structura celebrationis clarius eluceat.

2. Dispositio libri immutata est, ita ut initium sumendo ab Episcopo, qui plenitudinem sacri Ordinis habet, melius intellegatur quomodo presbyteri eius sint cooperatores et diaconi ad eius ministerium ordinentur.

3. In Prece Ordinationis sive presbyterorum sive diaconorum, verbis quæ ad naturam rei pertinent et ideo ad valorem actus exiguntur iisdem manentibus, nonnullæ mutatae

sunt locutiones, quædam sententiæ adiunctæ e Novo Testamento haustæ, ita ut ipsa Prex electis et christifidelibus ditiores presbyteratus et diaconatus præbeat notionem, in quantum a Christo sacerdote profluunt.

4. Ordinandi presbyteri modo magis explicito interrogantur de ministerio reconciliationis exercendo et de Eucharistia celebranda.

5. Ritus de sacro cælibatu amplectendo, a Sacra Congregatione pro Cultu Divino apparatus, ad normam Litterarum Apostolicarum *Ad pascendum*, quæ a Paulo PP. VI fel. rec. anno 1972 datæ sunt, nunc inseritur in Ordinationem diaconorum. De speciali autem mandato Summi Pontificis IOANNIS PAULI PP. II, disciplina mutata est ita ut etiam electi, qui in Instituto religioso vota perpetua emisissent, posthac teneantur in ipsa Ordinatione diaconorum, derogato præscripto canonis 1037 Codicis Iuris Canonici, sacrum cælibatum amplecti tamquam peculiare propositum Ordinationi de iure coniunctum.

6. Item sodales Institutorum vitæ consecratæ in Ordinatione ad diaconatum et presbyteratum posthac interrogandi erunt etiam de reverentia et obœdientia erga Episcopum diocesanum ad unitatem fovendam omnium clericorum in unaquaque Ecclesia.

7. Ad modum Appendicis additur Ritus pro admissione inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum, paucis tantummodo mutatis.

Editionem alteram Pontificalis Romani *De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum* Summus Pontifex IOANNES PAULUS PP. II auctoritate sua approbavit et Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum nunc promulgat et typicam esse declarat.

Testa-
libus
m, in

terro-
lucha-

ongre-

arum

l. rec.

1 dia-

IOAN-

electi,

sthac

præ-

æliba-

ationi

rdina-

ogandi

opum

am in

ssione

paucis

atione

ontifex

t Con-

nunc

Conferentiis Episcoporum curæ erit textus, ritus et normas, quæ in hac editione inveniuntur, in praxim et in editiones linguis vernaculis apparandas inducere.

Iidem ritus ac textus, lingua latina exarati, statim ac prodierint erunt adhibendi; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Conferentiis Episcoporum approbatæ ab Apostolica Sede sint recognitæ, a die quem ipsæ Conferentiæ statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 29 Iunii 1989, in Sollemnitate Sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum.

EDUARDUS Card. MARTÍNEZ

Præfectus

✠ LUDOVICUS KADA
Archiep. tit. Thibicen.
a Secretis

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. n. R. 19/967

DECRETUM

Per Constitutionem Apostolicam *Pontificalis Romani recognitionis*, die 18 mensis Iunii anno 1968, Summus Pontifex Paulus VI novum ritum pro collatione sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia, peritis adhibitis et Episcopis diversarum orbis regionum consultis, recognitum, approbavit, ut posthac, pro ritu in Pontificali Romano exstante, usurpetur in his Ordinibus conferendis.

Pars igitur Pontificalis Romani, novos hos ritus pro collatione sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus continens, præsentì Decreto ab hac Sacra Rituum Congregatione, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice PAULO PP. VI tributarum, evulgatur et uti typica declaratur.

Statuitur insuper ut, usque ad diem 6 mensis Aprilis proximi anni 1969, hoc est ad Dominicam Resurrectionis D.N.I.C., aut hi novi ritus, aut ii qui nunc in Pontificali Romano sunt, usurpari ad arbitrium possint; ab eo autem die hi novi dumtaxat ritus adhibeantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romæ, die 15 Augusti 1968, in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.


BENNO Card. GUT
Præfectus S. Congr. Rituum
et "Consilii" Præses

✠ FERDINANDUS ANTONELLI
Archiep. tit. Idicensis
S.C.R. a Secretis

mi
et
no
qu

su
sæ
cu
ill
cæ

te



CONSTITUTIO APOSTOLICA
 QUA NOVI RITUS APPROBANTUR
 AD ORDINATIONEM DIACONI, PRESBYTERI
 ET EPISCOPI

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
 AD PERPETUAM REI MEMORIAM

PONTIFICALIS ROMANI RECOGNITIO non tantum generali modo a Concilio Œcumenico Vaticano II præscribitur,¹ sed etiam peculiaribus regitur normis, quibus eadem Sacra Synodus ritus Ordinationum, « sive quoad cæremonias sive quoad textus », ² immutari iussit.

Sed ex Ordinationis ritibus illi imprimis considerandi sunt, quibus per Sacramentum Ordinis, vario gradu collatum, sacra Hierarchia constituitur: « sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur ».³

In recognitione autem ritus Ordinationum sacrarum, præter principia generalia, quibus integra instauratio Liturgiæ,

¹ Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 25.

² *Ibid.*, n. 76.

³ Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.

i re-
 tificex
 num
 exse-
 is et
 tum,
 o ex-

col-
 Epi-
 tuum
 tifice
 atur.
 prilis
 ionis
 i Ro-
 n die

. Ma-

ELLI
 is

iuxta præscripta Concilii Vaticani II, regi debet, summopere attendendum est ad præclaram illam doctrinam de natura et effectibus Sacramenti Ordinis, quæ in Constitutione de Ecclesia ab eodem Concilio pronuntiata est; quæ sane doctrina ipsa Liturgia, modo sibi proprio, exprimenda est, nam « textus et ritus ita ordinari oportet ut sancta, quæ significant, clarius expriment, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actiosa et communitatis propria celebratione participare possit ».⁴

Iamvero eadem sancta Synodus docet: « Episcopali consecratione plenitudinem conferri Sacramenti Ordinis, quæ nimirum et liturgica Ecclesiæ consuetudine et voce sanctorum Patrum summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur. Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quæ tamen natura sua non nisi in hierarchica communionem cum Collegii capite et membris exerceri possunt. Ex traditione enim, quæ præsertim liturgicis ritibus et Ecclesiæ tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferri et sacrum characterem ita imprimi, ut Episcopi, eminenti ac adspectabili modo, ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in Eius persona agant ».⁵

Quibus verbis addenda sunt plura et præclara doctrinæ capita de Episcoporum apostolica successione necnon de eorum muneribus et officiis, quæ, etsi iam in Ordine Consecrationis episcopalis contineantur, meliore tamen et accuratiori modo exprimenda videntur. Quod ut rectius obtineretur, opportunum visum est e fontibus antiquis arcessere precepcionem consecratoriam quæ in ea invenitur, quæ vocatur « Traditio Apostolica Hippolyti Romani », sæculo tertio

⁴ Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 21.

⁵ Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 21.

ineunte scripta, quæque, magna ex parte, in liturgia Ordinationis Coptorum et Syrorum occidentalium adhuc servatur. Ita fit ut in ipso Ordinationis actu testimonium perhibeatur de concordia traditionis cum orientalis tum occidentalis, quoad munus apostolicum Episcoporum.

Quod vero ad Presbyteros attinet, ex Actis Concilii Vaticani secundi hæc præsertim recolenda sunt: « Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque æterni Sacerdotis (cf. Hebr 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28), ad Evangelium prædicandum, fidelesque pascendos, et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti ». ⁶ Atque alio loco hæc leguntur: « Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et Templum Spiritus Sancti, hic in terris, indesinenter ædificatur ». ⁷ In Ordinatione autem presbyterali, prouti in Pontificali Romano habebatur, missio et gratia Presbyteri tamquam adiutoris Ordinis episcopalis clarissime describebatur. Attamen necessarium visum est totum ritum, qui antea in plures partes distribuebatur, ad maiorem unitatem redigere, et mediam Ordinationis partem, hoc est impositionem manuum et precationem consecratoriam in vividiore luce ponere.

Quod tandem ad Diaconos spectat, præter ea quæ in Literis Apostolicis *Sacrum Diaconatus Ordinem*, Motu proprio a Nobis die XVIII mensis Iunii anno MCMLXVII editis, continentur, hæc præcipue commemoranda sunt verba: « In

⁶ *Ibid.*, n. 28.

⁷ Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis*, n. 1.

gradu inferiori Hierarchiæ sistunt Diaconi, quibus "non ad sacerdotium, sed ad ministerium" (*Constitutiones Ecclesiæ Aegyptiacæ*, III, 2), manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiæ, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt ».⁸ In Ordinatione autem diaconali pauca quædam mutanda erant, ratione habita sive præceptionum recens latarum de diaconatu tamquam gradu proprio et permanenti Hierarchiæ in Ecclesia latina, sive maioris simplicitatis et claritatis rituum.

Porro ex ceteris Supremi Magisterii documentis, ad Sacros Ordines pertinentibus, peculiari mentione, dignam existimamus Constitutionem Apostolicam *Sacramentum Ordinis*, a Decessore Nostro fel. rec. Pio XII, die xxx mensis Novembris anno MCMXLVII, editam, qua declaratur « Sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus materiam eamque unam esse manuum impositionem: formam vero itemque unam esse verba applicationem huius materiæ determinantia, quibus univoce significantur effectus sacramentales — scilicet potestas Ordinis et gratia Spiritus Sancti — quæque ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur ».⁹ Quibus præmissis, idem documentum decernit quænam manuum impositio et quænam verba in uniuscuiusque Ordinis collatione materiam et formam constituent.

Cum vero in recognitione ritus opus fuerit quædam vel addi, vel deleri, vel mutari, sive ut textus ad fidem textuum antiquiorum restituerentur, sive ut sententiæ clariores redderentur, sive ut effectus sacramenti melius exponerentur, necesse esse putamus, ad omnem controversiam tollendam et ad conscientiarum anxietates præcavendas, declarare quænam in ritu recognito ad naturam rei pertinere dicenda sint. De materia ergo et forma in uniuscuiusque Ordinis colla-

⁸ Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 29.

⁹ A.A.S. 40 (1948) 6.

tione, suprema Nostra Apostolica auctoritate, quæ sequuntur decernimus et constituimus.

In Ordinatione Diaconorum materia est Episcopi manuum impositio, quæ silentio fit super singulos ordinandos ante precationem consecratoriam; forma autem constat verbis eiusdem precationis consecratoriæ, quorum hæc ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii fideliter exsequendi munere septiformis tuæ gratiæ roboventur ».

In Ordinatione Presbyterorum, item materia est Episcopi manuum impositio, quæ silentio super singulos ordinandos fit ante precationem consecratoriam; forma vero constat verbis eiusdem precationis consecratoriæ, quorum hæc ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent ».

Denique in Ordinatione Episcopi, materia est impositio manuum quæ ab Episcopis consecrantibus, vel saltem a Consecratore principali, fit silentio super caput Electi ante precationem consecratoriam; forma autem constat verbis eiusdem precationis consecratoriæ, quorum hæc ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur. « Et nunc effunde super hunc electum eam virtutem, quæ a te est, Spiritum principalem, quem dedisti dilecto Filio tuo Iesu Christo, quem ipse donavit sanctis Apostolis, qui constituerunt Ecclesiam per singula loca, ut sanctuarium tuum, in gloriam et laudem indeficientem nominis tui ».

Hunc igitur ritum pro collatione Ordinum sacrorum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de s. Liturgia, « peritis adhibitis

non ad
cclesiæ
sacra-
tis Po-
yterio,
ædam
ens la-
anenti
atis et

ad Sa-
n exi-
Ordi-
is No-
orum
unam
unam
, qui-
ilicet
b Ec-
præ-
mpo-
tione

i vel
uum
red-
itur,
dam
quæ-
sint.
olla-

et Episcopis consultis ex diversis orbis regionibus », ¹⁰ recognitum, Nosmetipsi Apostolica Nostra auctoritate approbamus, ut posthac, pro ritu in Pontificali Romano adhuc existente, adhibeatur in his Ordinibus conferendis.

Nostra hæc statuta et præscripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Nostris Decessoribus editis, ceterisque præscriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Iunii, anno MCMLXVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PAULUS PP. VI

1.
Spir
et g

2.
dum
eorn
mirr
derr
ordl
Dia

3.
ritu
effe
Don

4.
exen
dota
Chr
fide
ut v

5.
nus
litu
eius

1
:
:
:
:
minu
:

¹⁰ Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 25.

INDEX

Decretum, 29 Iunii 1989	III
Decretum, 15 Augusti 1968	VI
Constitutio Apostolica « Pontificalis Romani recognitio »	VII

PRÆNOTANDA GENERALIA

I. De sacra Ordinatione	1
II. De structura celebrationis	2
III. De aptationibus ad varias regiones et adiuncta	3

Caput I. DE ORDINATIONE EPISCOPI

Prænotanda	4
I. De Ordinationis momento	4
II. De officiis et ministeriis	5
III. De Ordinationis celebratione	6
IV. De iis, quæ sunt paranda	7
Ritus Ordinationis Episcopi	9
Ritus Ordinationis Episcopi pluribus simul conferendæ	35

Caput II. DE ORDINATIONE PRESBYTERORUM

Prænotanda	53
I. De Ordinationis momento	53
II. De officiis et ministeriis	54
III. De Ordinationis celebratione	54
IV. De iis, quæ sunt paranda	56
Ritus Ordinationis presbyterorum	57
Ritus Ordinationis presbyterorum uni tantum conferendæ	85

Caput III. DE ORDINATIONE DIACONORUM

Prænotanda	100
I. De Ordinationis momento	100
II. De officiis et ministeriis	101
III. De Ordinationis celebratione	101
IV. De iis, quæ sunt paranda	103
Ritus Ordinationis diaconorum	104
Ritus Ordinationis diaconorum uni tantum conferendæ . .	130

Caput IV. DE ORDINATIONE DIACONORUM ET DE ORDINATIONE PRESBYTERORUM IN UNA ACTIONE LITURGICA SIMUL CONFERENDIS

Prænotanda	143
I. De Ordinationis diaconorum et Ordinationis presbyterorum celebratione	143
II. De iis, quæ sunt paranda	145
Ritus Ordinationis plurium diaconorum et Ordinationis plurium presbyterorum	146
Ritus Ordinationis unius diaconi et Ordinationis unius presbyteri	174

Caput V. TEXTUS IN CELEBRATIONE ORDINATIONUM ADHIBENDI

I. Missa in conferendis sacris Ordinibus	196
Pro Ordinatione Episcopi	196
Pro Ordinatione presbyterorum	202
Pro Ordinatione diaconorum	207
Pro Ordinatione diaconorum et Ordinatione presbyterorum	212
II. Lectiones biblicæ	218
Lectiones e Vetere Testamento	218
Lectiones e Novo Testamento	219
Psalmi responsorii	221
Alleluia et Versus ante Evangelia	222
Evangelia	222

APPENDIX

I. Cantus	227
II. Ritus admissionis inter candidatos ad Ordinem sacrum .	232

DEX

100
100
101
101
103
104
130

143

143
145

146

174

196
196
202
207

212
218
218
219
221
222
222

227
232

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM EST
DIE TRIGESIMA PRIMA MAII MCMXC
IN VISITATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

IMAGO INITIO VOLUMINIS POSITA
EX EDITIONE AD INSTAR ORIGINALIS DEPROMPTA LIBRI
« SACRAMENTARIUM EPISCOPI WARMUNDI »
PRIULI ET VERLUCCA EDITORIBUS

RUM

eco-
ba-
ex-

um
ua-
sto-
tio-

sis

PRÆNOTANDA GENERALIA

I

DE SACRA ORDINATIONE

1. Per sacram Ordinationem Christi nomine instituuntur et donum Spiritus Sancti accipiunt quidam christifideles ad Ecclesiam verbo et gratia Dei pascendam.¹
2. Etenim « Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (Io 10, 36), consecrationis missionisque suæ per Apostolos suos, eorum successores, videlicet Episcopos, participes effecit, qui munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia legitime tradiderunt. Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur ».²
3. Episcopi, « plenitudine sacramenti Ordinis insigniti »,³ per Spiritum Sanctum qui in Ordinatione datus est eis, « veri et authentici effecti sunt fidei magistri, pontifices et pastores »,⁴ et ut tales gregi Domini in persona Christi capitis præsententur.
4. « Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et, vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque æterni Sacerdotis, ad Evangelium prædicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur ut veri Sacerdotes Novi Testamenti ».⁵
5. Diaconis « non ad sacerdotium sed ad ministerium sacrum manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiæ, verbi et caritatis populo Dei, in communionem cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt ».⁶

¹ Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.

² *Ibid.*, n. 28.

³ *Ibid.*, n. 26.

⁴ Conc. Vat. II, Decr. de Pastoralis episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 2.

⁵ Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.

⁶ *Ibid.*, n. 29.

6. Sacra Ordinatio confertur per manuum impositionem Episcopi et Precem qua ab eo benedicitur Deo et invocatur donum Spiritus Sancti ad ministerium implendum.⁷ Ex traditione enim, quæ præsertim liturgicis ritibus et Ecclesiæ tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et Prece Ordinationis donum Spiritus Sancti conferri et sacrum characterem ita imprimi, ut Episcopi, presbyteri et diaconi, suo quisque modo, Christo conformantur.⁸

II

DE STRUCTURA CELEBRATIONIS

7. Manuum impositio et Prex Ordinationis sunt essentielle elementum cuiusvis Ordinationis; in quo oratio ipsa benedictionis et invocationis significationem determinat impositionis manuum. Itaque hi ritus cum sint centrum Ordinationis, per institutionem catechetica inculcentur et per ipsam celebrationem in lucem ponantur.

Dum manus imponuntur, fideles silentio supplicant, precem autem participant eam auscultantes et per acclamationem finalem confirmantes ac concludentes.

8. Magni momenti intra Ordinationis celebrationem sunt ritus præparatorii, nempe præsentatio electi vel electio candidatorum, homilia, promissio electorum et supplicatio litanica, et præsertim ritus explanativi, diversi pro diversitate Ordinis, quibus indicantur munera per manuum impositionem et invocationem Spiritus Sancti collata.

9. Ordinatio celebranda est intra Missarum sollemnia, quæ fideles præsertim die dominico actuose participant « ad unum altare cui præest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus ».⁹

Hoc modo simul copulantur præcipua Ecclesiæ manifestatio et sacrorum Ordinum dispensatio una cum Sacrificio eucharistico, totius christianæ vitæ fonte et culmine.¹⁰

⁷ Cf. Pius XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*: A.A.S. 40 (1948) 5-7; Paulus VI, Const. Apost. *Pontificalis Romani recognitio*; CIC can. 1009 § 2.

⁸ Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Pontificalis Romani recognitio*.

⁹ Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.

¹⁰ Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.

scopi et
Sancti
n litur-
aratur,
donum
ut Epi-
confor-

10. Intima coniunctio ipsius Ordinationis cum celebratione Missæ opportune manifestatur non tantum per insertionem ritus et per formulas proprias in Prece eucharistica et in benedictione finali sed etiam, servatis servandis, per lectiones seligendas et per usum peculiaris Missæ ritualis pro diversitate Ordinis collati.

III

DE APTATIONIBUS AD VARIAS REGIONES ET ADIUNCTA

11. Conferentiis Episcoporum competit, ritus Ordinationum Episcopi, presbyterorum et diaconorum accommodare singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet, adhibeatur. Qua in re Conferentiæ Episcoporum, attentis locorum et rerum adiunctis necnon ingenio et traditionibus populorum, possunt:

a) formam definire, qua communitas, iuxta morem regionis, electioni candidatorum assentit (in Ordinatione Episcopi, nn. 38 et 74; in Ordinatione presbyterorum, nn. 122. 150. 266. 307; in Ordinatione diaconorum, nn. 198. 226. 264. 305);

b) statuere ut interrogationibus ante Ordinationem in ritibus prævisis (in Ordinatione Episcopi, nn. 40 et 76; in Ordinatione presbyterorum, nn. 124. 152. 270. 311; in Ordinatione diaconorum, nn. 200. 228. 268. 309) aliæ, pro opportunitate, addantur;

c) definire formam, qua electi ad diaconatum et presbyteratum reverentiam et obædientiam promittunt (nn. 125. 153. 201. 228. 269. 271. 310. 312);

d) statuere ut propositum assumendi obligationem cælibatus (in Ordinatione diaconorum, nn. 200. 228. 268. 309), præter responsionem ad quæstionem respectivam, forma aliqua externa manifestetur;

e) approbare quosdam cantus peragendos loco ipsorum qui in hoc libro indicantur;

f) proponere Apostolicæ Sedi alias aptationes rituum, de ipsius consensu introducendas. Attamen: manuum impositio omitti nequit; Prex Ordinationis nec reduci nec substitui potest cum aliis textibus alternativis. Structura generalis ritus et indoles propria uniuscuiusque elementi serventur.

lemen-
et in-
Itaque
teche-
antur.
autem
confir-

ritus
n, ho-
ritus
mu-
Sancti

ideles
e cui
'
io et
otius

us VI,

DE ON

fidem
minii
(cf. I
colla
saton
Pleni
prem
offen
dirig
minii

CAPUT I

DE ORDINATIONE EPISCOPI

PRÆNOTANDA

I

DE ORDINATIONIS MOMENTO

12. Vi episcopalis Ordinationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris, aliquis membrum Corporis episcopalis constituitur.

Ordo autem Episcoporum collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in eo corpus apostolicum continuo perseverat.¹¹ Episcopi ergo, « utpote Apostolorum successores, a Domino, cui omnis potestas in cælo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et prædicandi Evangelium omni creaturæ, ut homines universi, per fidem, baptismum et adimpletionem mandatorum salutem consequantur (cf. Mt 28, 18) »;¹² Episcopale Collegium, sub uno capite Romano Pontifice, Petri successore, collectum, unitatem, varietatem et universalitatem gregis Christi exprimit.¹³

13. Singuli autem Episcopi, qui particularibus Ecclesiis præficiuntur, regimen suum pastorale super portionem Populi Dei sibi commissam exercent;¹⁴ visibile principium et fundamentum sunt unitatis in istis Ecclesiis particularibus, ad imaginem Ecclesiæ universalis formati, in quibus et ex quibus Ecclesia catholica existit.¹⁵

14. Inter præcipua Episcoporum munera eminet prædicatio Evangelii: Episcopi enim sunt fidei præcones, qui novos discipulos ad Christum adducunt et doctores authentici qui populo sibi commissio

15.
et ez
cibu
«
nati
que
16.
lis
Val
ad
man
pro
I
coll
aut
Dec
17.
bra
ab

¹¹ Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 22.
¹² *Ibid.*, n. 24.
¹³ Cf. *ibid.*, n. 22.
¹⁴ Cf. *ibid.*, n. 23.
¹⁵ Cf. *ibid.*

fidem credendam et moribus applicandam prædicant.¹⁶ Sicut vero per ministerium verbi virtutem Dei credentibus in salutem communicant (cf. Rom 1, 16), ita per sacramenta fideles sanctificant: ipsi regunt collationem baptismi; sunt ministri originarii confirmationis, dispensatores sacrorum Ordinum, moderatores disciplinæ pænitentialis. Plenitudine sacramenti Ordinis insigniti, sunt « œconomi gratiæ supremi sacerdotii » præsertim in Eucharistia, quam ipsi offerunt vel offerri curant. Omnis autem legitima Eucharistiæ celebratio ab eis dirigitur: in quavis enim altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio exhibetur symbolum caritatis et unitatis Corporis mystici.¹⁷

II

DE OFFICIIS ET MINISTERIIS

15. Officium est omnium fidelium orare pro Episcopo suo eligendo et electo. Hoc fiat præsertim in oratione universali Missæ et in precibus Vesperarum.

Cum Episcopus pro tota Ecclesia locali constituatur, ad eius Ordinationem clerici aliique fideles invitandi sunt, ut quam maxima frequentia celebrationi intersint.

16. Iuxta usum antiquitus traditum Episcopus ordinans principalis duos saltem Episcopos in Ordinatione celebranda sibi adiungat. Valde autem convenit ut omnes Episcopi præsentés in novo electo ad summi sacerdotii ministerium elevando partem habeant,¹⁸ cum manus super eum imponunt, statutam partem Precis Ordinationis proferunt eumque osculo salutant.

Hoc modo in ipsa Ordinatione uniuscuiusque Episcopi indoles collegialis Ordinis episcopalis significatur.

De more Metropolita ordinet Episcopum suffraganeum, Episcopus autem loci Episcopum auxiliarem.

Episcopus ordinans principalis Precem Ordinationis profert, qua Deo benedicatur et Spiritus Sanctus invocatur.

17. Duo presbyteri diœcesis, pro qua electus ordinatur, ei in celebratione Ordinationis assistunt: nomine Ecclesiæ localis unus ex eis ab Episcopo ordinante principali petit, ut electo Ordinationem con-

¹⁶ Cf. *ibid.*, n. 25.

¹⁷ Cf. *ibid.*, n. 26.

¹⁸ Cf. *ibid.*, n. 22.

æ cum
episco-

rio et
conti-
ores, a
ionem
i crea-
ionem
copale
collec-
imit.¹³

ficiun-
mmis-
tis in
s for-

Evan-
os ad
misso

ferat. Una cum Episcopo in hac celebratione Ordinato aliisque Episcopis hi duo presbyteri et, in quantum fieri potest, etiam alii presbyteri praesertim eiusdem diocesis liturgiam eucharisticam concelebrant.

18. Duo diaconi librum Evangeliorum super caput electi tenent, dum Prex Ordinationis profertur.

III

DE ORDINATIONIS CELEBRATIONE

19. Electus ante celebrationem Ordinationis, tempore opportuno, spiritalibus exercitiis vacet.

20. Convenit ut omnes communitates diocesis, pro qua Episcopus ordinatur, ad celebrationem Ordinationis apto modo praeparentur.

21. Episcopus, qui tamquam caput cuidam diocesi praeficitur, in ecclesia cathedrali ordinetur. Episcopi auxiliares, qui in servitium cuiusdam diocesis ordinantur, etiam in ecclesia cathedrali vel alia ecclesia maioris momenti in diocesi ordinentur.

22. Ordinatio Episcopi fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, praesertim festo Apostolorum, nisi rationes pastorales alium diem suadeant. Excludantur tamen Triduum paschale, Feria IV Cinerum, tota Hebdomada sancta et Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

23. Ordinatio fit intra Missarum sollemnia ritu stationali celebrata, et quidem liturgia verbi absoluta, ante liturgiam eucharisticam.

Adhiberi potest Missa ritualis « In conferendis sacris Ordinibus », exceptis Sollemnitatibus, Dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae, diebus intra octavam Paschae et festis Apostolorum. Occurrentibus his diebus dicitur Missa de die, cum suis lectionibus. Si tamen, aliis in diebus, Missa ritualis non dicitur, una ex lectionibus sumi potest ex iis quae in Lectionario pro Missa rituali proponuntur.

Oratio universalis omittitur, quia litaniae eius locum tenent.

24. Dicto Evangelio, Ecclesia localis per unum ex presbyteris suis ab Episcopo ordinante principali petit, ut electum ordinet. Electus coram Episcopis omnibusque fidelibus voluntatem exprimit se munus suum, iuxta mentem Christi atque Ecclesiae in communione cum Ordine Episcoporum sub auctoritate successoris beati Petri Apostoli, exerciturum esse. In litiis omnes gratiam Dei pro electo implorant.

25.
nis
Hæc
vale
tem
tuér
et ll
ll
omn
rei]]
prim
ita
tur,

26.
dum
marr
scop
part
fide:
stud
ralis
«
et al
in C

27.
ordii
Ordi
præ:
murr

28.
sunt
æ
b
c:

ie Epi-
presby-
ebrant.

tenent,

ortuno,

scopus
tur.

tur, in
vitium
el alia

uentia
ationes
um pa-
roratio

ebrata,
m.
ibus »,
et Pa-
Occur-
us. Si
onibus
untur.
it.

is suis
electus
munus
im Or-
ostoli,
lorant.

25. Per impositionem manuum Episcoporum et Precem Ordinationis electo donum Spiritus Sancti pro munere Episcopi confertur. Hæc autem verba ad naturam rei pertinent, atque adeo ut actus valeat exiguntur: « Et nunc effunde super hunc electum eam virtutem, quæ a te est, Spiritum principalem, quem dedisti dilecto Filio tuo Iesu Christo, quem ipse donavit sanctis Apóstolis, qui constituerunt Ecclesiam per singula loca ut sanctuárium tuum, in glóriam et laudem indeficientem nóminis tui ».

Episcopus ordinans principalis Precem Ordinationis nomine omnium Episcoporum præsentium profert; verba quæ ad naturam rei pertinent, ab omnibus Episcopis, qui una cum Episcopo ordinante principali manus electo imposuerunt, proferuntur. Hæc autem verba ita dicenda sunt, ut vox Episcopi ordinantis principalis clare audiat, dum ceteri Episcopi ordinantes ea submissa voce proferant.

26. Per impositionem libri Evangeliorum super caput ordinandi, dum Prex Ordinationis profertur, necnon eiusdem traditionem in manus Ordinati in lucem ponitur fidelis prædicatio verbi Dei ut Episcopi munus præcipuum; per unctionem capitis peculiaris Episcopi participatio in sacerdotio Christi significatur; per traditionem anuli fides Episcopi erga sponsam Dei, Ecclesiam, per impositionem mitræ studium adipiscendæ sanctitatis, per traditionem autem baculi pastoralis eius munus regendi Ecclesiam sibi commissam indicantur.

Osculo, quod Ordinatus accipit ab Episcopo ordinante principali et ab omnibus Episcopis quasi sigillum ponitur ad eius acceptationem in Collegium Episcoporum.

27. Summe convenit, ut Episcopus intra fines propriæ diœcesis ordinatus concelebrationi in liturgia eucharistica præsideat. Si autem Ordinatio facta est in alia diœcesi, Episcopus ordinans principalis præsidet concelebrationi; hoc in casu, Episcopus modo ordinatus primum locum tenet inter ceteros concelebrantes.

IV

DE IIS, QUÆ SUNT PARANDA

28. Præter ea, quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

- a) Liber De Ordinatione;
- b) libelli Precis Ordinationis pro Episcopis ordinantibus;
- c) gremiale linteum;

- d) sanctum chrisma;
- e) ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt;
- f) anulus, baculus pastoralis, mitra pro electo et, si casus fert, pallium. Hæc insignia, pallio excepto, benedictione prævia non indigent, cum in ipso ritu Ordinationis tradantur.

29. Præter cathedram Episcopi ordinantis principalis, sedes pro Episcopis ordinantibus, electo et presbyteris concelebrantibus parentur hoc modo:

a) In liturgia verbi Episcopus ordinans principalis sedet in cathedra, alii Episcopi ordinantes iuxta cathedram, hinc inde; electus vero inter presbyteros sibi assistentes, loco aptiore in presbyterio;

b) Ordinatio fiat de more ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, parentur sedes pro Episcopo ordinante principali aliisque Episcopis ordinantibus ante altare vel alio opportuniore loco; sedes autem pro electo et presbyteris ei assistentibus, sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

30. Episcopus ordinans principalis necnon Episcopi et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur.

Episcopus ordinans principalis convenienter sub casula induit dalmaticam.

Electus induit omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam.

Episcopi autem ordinantes qui forte non concelebrent, sumunt albam, crucem pectoralem, stolam et, pro opportunitate, pluviale et mitram. Presbyteri electo assistentes, si forte non concelebrent, induunt pluviale super albam.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, secus coloris albi, vel vestes festivæ seu nobiliores adhibeantur.

311

alt

et:

see

pr

Ep

ei

om

dis

dis

car

32.

adl

33.

sall

tib

Cui

qui

græ

catt

ter

34.

sup

Ora

35.

hym

iuxt

36.

nam